

tus figendi crucem ad sepulera catholicorum; præsertim cum per hoc distinguantur ab hæreticis et infidelibus, dum se crucis amatores sectatoresque fuisse etiam mortui testantur.

III. Rigantur subinde areolæ, ut inspersa sibi semina maturis ad fructum producant. Idem nos catholici beneficium impertimur tumulatis, aspergendo lustrali aqua eorum sepulera; non quasi ignem illum purgantem hac aqua extincturi ut cachinnantur adversarii, sed ut memores baptismi, quo defunctus olim expiatus fuit, bene ipsi precemur, Deum invocantes, ut quemadmodum aqua extinguit ignem, sic per ejus misericordiam valeant preces nostræ purgatorias illas pœnas defuncto aut mitigare aut omnino tollere. Idem sentiendum de eleemosynis et oblationibus, quæ fiunt pro defunctis, vel etiam ex recepto more ponuntur supra sepulera aut feretra cum in templo pro illis celebrantur exequiæ. Id enim præcepit etiam Tobia filio, cap. IV. cum ait: *Panem tuum et vinum tuum super sepulcrum justi constitue.* Qui ritus cum in veteri Ecclesia quorundam abusu et superstitione fieret redargutus est a S. Ambrosio et Augustino: non tamen improbatus, si recta intentione et bono sensu fiat, scilicet in eleemosynam et sustentationem pauperum et clericorum, qui pro defunctis orant. Unde D. Augustinus, ep. LXIV. scribit: « Oblationes pro spiritibus dormientium, quas vere aliquid adjuvare credendum est, super ipsas memorias non sint sumptuosæ atque omnibus peccatis sine typho et curæ alacritate præbeantur, neque vendantur. » Magis tamen probantur, et plus valent piæ preces et sacrificium missæ, quod unum expetebat Sancta Monica mater Augustini, ut ipse testatur in confessionum suarum, l. IX. ad fin. Simili de causa tumuli mortuorum olim floribus conspergebantur, quasi piis viventium votis, quibus ut in altera vita florerent, precabantur. Rectius tamen sapiunt, qui defunctos precibus, eleemosynis, aliisque piis operibus juvant; id quod in Pammachio commendat S. Hieronymus, ep. XXVI. ad Pammachium: « Cæteri, inquit, mariti super tumulos conjugum spargunt violas, rosas, lilia, floresque purpureos, et dolorem pectoris his officiis consolantur. Pammachius noster sanctam favillam ossaque veneranda eleemosynæ balsamis rigat, his pigmentis atque odoribus fovet cineres quiescentes, etc. » Si sic rigentur sepulera, fiet absque dubio, ut defunctorum animæ citius e purgatorio emergant, atque ad maturitatem beatificæ visionis festinent.

IV. Semina in areolas sparsa non omnia progerminant in rosas, violas, flores, sed multa, forte quia corrosa, putrida, aut non integra fue-

runt, suffocantur et pereunt, atque eorum loco urticæ et zizania succrescunt. Ita et defuncti non omnes resurgent ad gloriam, specioso corpore et anima, sed multi ad ignominiam et damnationem corpore et animo fœdi. Id enim testatur apostolus, I. Cor. XV. *Omnes quidem resurgemus, ait, sed non omnes immutabimur.* Semen quod in areolam jacimus, vile, asillum, et abjectum est; at vero si exereverit, mutatur in rosam, violam, florem, colore et odore gratissimum. Idem continget justis in die resurrectionis. Improbi resurgent quidem et ipsi, sed horridi, tristes et abominabiles, quasi urticæ et zizania ad ignem destinata. Schema aliquod hujus discriminis ostensum est (si verum est quod ex antiquis Rabinis refert noster Sanctius, in l. III. Reg. c. XIII. et Job I.) in sepulero prophetæ illius, qui in pœnam temporaneam levis cujusdam transgressionis a leone occisus fuit, III. Reg. XIII. et alterius improbi, qui illum seduxerat atque in ipsius sepulcrum post mortem illatus fuit. Nam qua parte sepulcri jacuit ille bonus, flores eruperunt speciosi et suaviter olentes: ex parte vero seductoris creverunt fœdi et fœtentes, spinæ et urticæ. Ita plane continget electis et reprobatis, cum resurgent ad judicium. Qui enim sani in fide et charitate obierunt, resurgent cum glorificato corpore et anima: qui vero his destituti discesserunt ex hoc sæculo resurgent inglorii et ad confusionem. Cæterum quomodo areolæ totæ rigantur aquis, tametsi incertum sit, quænam semina oritura, quænam interitura sint: ita et nos pro omnibus, qui in vera fide vitam clauerunt, preces offerre decet. Quod enim non proderit uni, prodesse alteri potest. Qua tamen in re observandum quod monet S. Ambros. in epist. ad Faust. epist. VIII. consolaturque eum ob mortem germanæ. « Itaque ait non tam deplorandam, quam prosequendam orationibus reor: nec mœstificandum lacrymis tuis, sed magis oblationibus animam ejus Domino commendandam arbitror. » Similiter S. Chrysost. in l. ad Cor. hom. XLI. « Oportet succurrere defunctis non lacrymis sed precibus, et supplicationibus et eleemosynis, et oblationibus. Non sunt enim hæc (inquit) temere excogitata, neque frustra eorum, qui excesserunt, in divinis mysteriis meminimus, et pro ipsis accedimus rogantes agnum propositum, qui mundi peccatum tulit, sed ut inde eis aliqua sit consolatio: neque abs re is, qui adstat altari, dum veneranda peraguntur mysteria, clamat: Pro omnibus, qui in Christo dormierunt, et iis, qui pro ipsis celebrant memorias. Nam si pro ipsis fierent commemorationes, ne hæc quidem dicta essent. Non sunt enim res nostræ ludi-

scenici (audiant hæc hæretici) absit: hæc enim fiunt ordinatione Spiritus. Eis ergo opem feramus et commemorationem eorum peragamus, etc. » Ex quibus perspicimus, non solum piis operibus juvari posse defunctorum animas, sed etiam ac vel maxime missæ sacrificio, testimonio illorum patrum, qui ante mille et trecentos fere annos vixerunt. Hæc sunt aquæ illæ, quibus rigandæ sepulcrorum areolæ, bona opera, non lacrymæ. Confirmat hoc exemplo Thomas Cantipratanus, l. II. apum, cap. LIII. « Avia mea (inquit) filium primogenitum habuit indole insigni et decore præcipuum, quo mortuo inconsolabiliter doluit, dumque sic filium lamentaretur, apparuerunt et juvenes in via quadam, ut visum est ei, cum ingenti gaudio gradientes: cumque memor filii eum inter illos non esse videret et staret, ecce post alios filium lento gradu subsequentem agnovit, cui mater cum gravi dolore dixit: Et quid est, fili, quod solus et non cum aliis graderis retardatus? Cui ille in toga laterali magnum aquæ pondus ostendens: Ecce, (inquit,) mater, lacrymæ, quas pro me inaniter effudisti, quarum pondere ab aliorum prosecutione retardor. Ad Deum ergo lacrymas commutabis, et in præsentia sacrificia corporis Christi cum eleemosynis pauperum pro me corpium et devotum effundas, et tunc liberabor ab incommodo, quo nunc gravor. » Finio cum S. Chrysost. hom. LXI. in Joann. « Honor, (inquit,) non fletus est, non ejulatus, sed hymni et psalmi et vita optima. Ille moriens cum angelis evolabit, etiamsi nemo exequiis interveniat: perditus autem etsi in funere universam habuerit civitatem, nihil lucrabitur. Vis mortuum honorare? Alia via aggrediendum est: fac eleemosynam. »

CONCIO III.

COEMETERIUM HACELDAMA, SEU AGER SANGUINIS.

THEMA.

Vocatus est ager ille Haceldama, hoc est, ager sanguinis usque ad hodiernum diem. Matth. XXVII.

Locus, in quo stamus et sepelimus defunctos nostros, appellamus vernaculo nostro vocabulo, quod sonat agrum Dei. Unde vero putatis auditores? Meo sane judicio sic a majoribus nostris vocatus est, quia representat agrum illum figuli, qui emptus fuit pretio sanguinis Christi, triginta argenteis, in sepulcrum peregrinorum, Matt. XXVII. Ita enim explicat agrum illum S. August. ser. CXIV. de temp. *Per agrum intelli-*

tur Ecclesia seu magis proprie cœmeterium. Ager ille sanguinis est qui pretio sanguinis Christi emptus est a cœlesti Patre, cui Christus pretium redemptionis nostræ exhibuit, in sepulcrum peregrinorum, h. e. in requiem Christianorum, qui velut peregrini in sæculo degunt, et in sepulcro quiescunt usque ad communem resurrectionem. Omnia hæc nobis magnum et multiplex adferunt solatium, ut ne contristemur super defunctis nostris, ut sunt cæteri, qui spem non habent et extra Ecclesiam vivunt ac moriuntur, id quod nunc expendemus.

I. Cœmeterium est ager, uti insinuat etiam apostolus, I. Cor. XV. Ubi sciscitanti: Quomodo resurgant mortui? Qualive corpore venient, respondet: « Insipiens, tu quod seminas, non vivificatur, nisi prius moriatur. Et quod seminas non corpus, quod futurum est, seminas: sed nudum granum, ut puta tritici, aut alicujus cæterorum. Deus autem dat illi corpus, sicut vult, et unicuique seminum proprium corpus. » Postea subdit applicationem in hunc modum: « Sic et resurrectio mortuorum. Seminatur in corruptione, surget in incorruptione, » h. e. sepelitur et in terram injicitur, ut corrumpatur, et resurget ad incorruptionem et incorruptibile. *Seminatur in ignominia, h. e. sepelitur cum horrore et fœtore, quem exhalat cadaver, et resurget in gloria, h. e. gloriosum, clarum, fulgidum. Seminatur in infirmitate, quia tabidum, grave, stupidum, resurget in potentia, virtute, agilitate, quam habebit. Seminatur corpus animale, h. e. pecuinum et brutum, crassum, surget corpus spirituale, hoc est subtile et quasi cœleste, quale assumunt interdum angeli, quod nihil pati, nec mori potest. Qui ergo mira sua potentia granum tici in terram seminatum et emortuum producit in culmum, spicam et grana, idem etiam humanam carnem et ossa in cinerem resoluta producet in humana corpora, sed speciosiora et incorruptibilia. Quo argumento scribit S. Gregor. l. XIV. moral. c. XXIX. se convicisse Eutyrium patriarcham Constantinopoli, ut is moriens pellem suam manibus apprehenderet, diceretque: *Confiteor quia in hac carne resurgemus.* Ex eodem apostoli loco colligit S. Chrysostomus, in l. ad Cor. hom. XLI. « Piorum mortem nequaquam deflendam, sed cum gaudio potius prosequendam esse. Nam etiam agricola, (inquit,) cum viderit dissolvi granum, nihil turbatur: ubi superstes solidumque et integrum in agro jacet, metuit, tremis. Mox ubi dissolutum jam conspicatur, gaudet: futuræ enim sementis exordium est solutum granum: ita nos, cum corruptibilis illa nostra domus ruit, gaudeamus,*

cum homo seminetur. Nec mirare, quod sepul-
turam semen vocet, satio est multo optima. Vul-
garem enim hanc nostram sationem mors, la-
bores, pericula, curæ consequuntur; illam, si
recte vivamus, præmia, coronæ. Et hanc quidem
corruptio, mortalitas; illam immortalitas, in-
corruptibilitas et mille præterea bona comitantur,
etc. » Specimen hujus restaurationis corporum
edidit Deus in sepulcro S. Severi presbyteri, qui
pro æde sacra, in qua sepulcrum sibi posuerat,
lilia collegit et parietibus templi affixit; ubi et
excreverunt. Cæterum ea die qua mortuus fuit,
reviruerunt deinceps singulis annis, uti scribit
S. Gregorius Turon. de gloria confessorum,
c. L.

II. Est ager figuli, utique illius, ad quem mis-
sus fuit Jeremias, cap. XVIII. verbis illis Domini:
Descende in domum figuli, et ibi audies verba mea.
Et descendit in domum figuli, et ecce ipse faciebat
opus super rotam. Et dissipatum est vas, quod ipse
faciebat e luto manibus suis: conversusque fecit
illud vas alterum, sicut placuerat in oculis ejus, ut
faceret. Et est verbum Domini dicens: Ecce sicut
lutum in manu figuli sic vos in manu mea, domus
Israel. Habemus igitur qui sit figulus, creator
scilicet noster, qui de limo finxit patrem nostrum
Adam, cujus ipsum nomen terram rubram si-
gnificat. Jam sicut lutum est in manu figuli, ita in
manu Dei. Ita ut in primis possit fingere nos,
quales vult circa peccatum, nam hoc odit; et sic
facit alium quidem pauperem, alium divitem:
hunc nobilem, illum rusticum et ignobilem:
hunc doctum, illum rudem: alium sanum et in-
tegrum: alium fractum et infirmum, cæcum vel
claudum. Quemadmodum enim figulus, sciens
uni civitati vel domui necessaria esse vasa ni-
tida ad decorem domus, altaris vel mensæ: alia
rudia et vilia, ad opera culinaria uti ollas, ma-
tulas, etc. fingit vasa ad utrumque usum, splen-
dida et rudia; ita Deus quoque sciens mundum
et Ecclesiam, opus habere tam miseris quam fel-
icibus, tam pauperibus quam divitibus, tam
rudibus quam litteratis, fingit nos uti placet ipsi,
et videtur esse commodum vel necessarium ad
gubernationem et conservationem mundi. Quis-
que igitur sua sorte contentus esse debet, nec ha-
bet quisquam, cur queratur se talem, aut talem
creatum esse, cum in omni statu et fortuna Deo
servire et salutem suam comparare sibi queat,
adeoque in omni statu mundi ornamentum sit.
Unde apostolus ad Rom. IX. ait: O homo, tu quis
es, ut respondeas Deo? Numquid dicit figmentum ei,
qui se finxit: Quid me fecisti sic? Annon habet
potestatem figulus luti ex eadem massa facere aliud
quidem vas in honorem, aliud vero in contumeliam?

Loquitur autem de naturæ donis, et non de illis
quæ libertati nostræ voluit esse subjecta Deus.

Deinde sequitur ex hoc, neminem habere cur
glorietur de suis donis, aut super alterum se
extollat. Quia uti vas figulinum, quantumvis
artificiosum et ornatum ex se non habet nisi
lutum, splendorem autem et artificium a sola
figuli docta manu: ita pariter et nos ex nobis
nil habemus, nisi quod lutum sumus; reliquum
quidquid in nobis naturæ præclarum est et lau-
dabile, totum a Deo, qui finxit nos, habemus.
Quisquis ergo talia dona sibi adscriberet, Deo
debitum honorem detraheret sibi que perperam
attribueret. Quo spectat illud Isaïæ, cap. XXIX.
Perversa est hæc vestra cogitatio quasi lutum contra
figulum cogitet, et dicat opus factori suo: Non fecisti
me, et figmentum factori suo: Non intelligis.

Denique hic intelligimus, quam nos confor-
mare divinæ dispositioni et voluntati debeamus,
cum per mortem aufert nobis charissimos quo-
que nostros, parentes, filios, fratres, amicos?
Quemadmodum enim figulus ille, ad quem mis-
sus fuit Jeremias, jure suo vas primum confregit,
et in aliam formam, sibi placitam redegit: ita
ac multo magis potestatem habet Deus frangendi
corpora nostra et ad terram allidendi, prout ipsi
placuerit; præsertim cum separare, et in splen-
didiorem formam possit refringere. Quare qui
impatenter ferunt suorum obitus et immoderate
plangunt, Deo factori contradicere videntur,
meritoque audiunt illud Isaïæ, cap. XLV. *Ut qui*
contradicit factori suo, testa de Samiis terræ. Num-
quid dicit lutum figulo suo: Quid facis? Argilla
Samia prænobilis erat, qualis terra sigillata vel
porcellena. Vasa igitur illa in pretio et æstima-
tione multa erant. Nihilominus vult propheta, ut
si Deus hujusmodi testam, h. e. hominem po-
tentem, divitem, juvenem aut puellam nobilem,
speciosam hinc auferat, et sepulcro inferat, ne
Deo contradicamus, et obmurmuremus: Quid
facis? Cur tam nobile vasculum frangis. Res-
pondet enim ibidem Deus: Ego Dominus creavi
eum, ego confringere, quinimo et reparare at-
que in speciosiore formam reducere possum.

III. Est ager sanguinis, seu *Haceldama*; qui
emptus pretio sanguinis Christi, triginta scilicet ar-
genteis. In quo duo in primis admiranda sunt.
Primum, quam pretiosa debeat esse sepultura
Christianorum, ut quæ pretiosissimo illo ac di-
vino sanguine, qui totius mundi opes quam lon-
gissime superat, coempta est. Et quis unquam
sanguine aut vita sua quantumcumque posses-
sionem suam emere visus est? Christus id fecit,
quando sanguinem suum non pro sua, sed pro
nostra sepultura dedit. Quanti igitur æstiman-

dam a nobis reputatis? Sed quæ hujus tam caræ
emptionis causa? Dicam breviter: Sepultura
nostra, nisi a Christo coempta fuisset, tetri qui-
dam et abominandi carceres essent e quibus ad
extremam et durissimam mortem extrahendi
eramur omnes. Postquam vero Christus pretium
sanguinis seu pro nobis exsolvit, carceres illi
funestissimi commutati sunt in lectulos mollis-
simos et suavissimos. (Unde locus eorum appel-
latur jam *cæmeterium, h. e. dormitorium,*) item in
scrinia aurea et gemmea, quæ servarent corpora
nostra veluti cimelia pretiosissima ad vitam ter-
beatam eamque æternam. Itaque sanguis Christi
eripuit nos de potestate tenebrarum et transtulit in
regnum Filii dilectionis suæ, inquit apostolus ad
Coloss. I. Hoc igitur tantum bonum nostrum
tanto emere pretio Filius Dei voluit, ut nos id
ipsum condigne æstimaremus et spreto hujus
mundi carcere ad cælestem regnum nobis paratum
toto pectore aspiremus. Propterea sancti viri
magnopere caverunt, ne inter infideles sepul-
crum sortirentur, ne cum illorum carcere com-
mune quidquam haberent; uti in primis Abra-
ham, qui cum hac in terra nullum plane fun-
dum proprium habuerit, sepulcrum tamen sibi
suæque conjugii ac posteris emere voluit, ut
proprium sibi haberet, ne inter infideles sepeli-
retur. Obtulerunt illi Ephronitæ fundum inter
suos gratis. Non accepit Abraham, sed qua-
tuor centos siclos dedit pro sepulcri sui loco,
Gen. XXIII. In quod etiam ut inferretur ex
Egypto, mandavit ejus nepos Jacob, Genes.
XLVII. et pronepos Joseph, Genes. ult. *Quæ enim*
pars fidei cum infideli? ait apostolus, II. Cor. VI.
Sed hinc jam nascitur admirandum alterum, cur
tantum illud sanguinis Christi pretium non nisi
triginta argenteis æstimatum sit. Id enim in
figura prævidens Zacharias, cap. XI. per ironiam
appellat decorum pretium. Nimirum id malitia
pessimorum mercatorum, Judæ et Judæorum
fecit; quia divini illius sanguinis pretium in-
comparabile non noverunt, dum illum avaritia,
hos vero excæcavit invidia. Atque utinam illi
soli tanta cæcitate laborassent, et non alii plures
ei similes invenirentur! At enim, qui pro exiguo
luero injusto, pro momentanea carnis voluptate,
pro una vini ingurgitatione, gratiam et salutem
suam, tanto pretio sibi emptam, iterum deper-
dunt, quid aliud, rogo, agunt nisi quod sangui-
nem Christi pro paucis argenteis vendunt?
Deinde qui pro regno cælorum nihil pene pati
volunt: qui mundi hujus commodis et bonis
perituris immersi ad cælum non aspirant, sed
potius cum evocantur gemunt, et defunctos suos
inconsolabiliter deplorant, quomodo non præ-

tium Christi et coemptum illo regnum spernunt,
ac pro nihilo habent? Unde merito exclam-
mat S. Bernard. serm. II. de pentecost. « O duri
et indurati et obdurati filii Adam, quos non
emollit tanta benignitas, tanta flamma, tam in-
gens ardor amoris, tam vehemens amor, qui
pro vilibus sarcinulis tam pretiosas merces ex-
pendit. Non enim corruptibilibus auro vel ar-
gento redemit nos, sed pretioso sanguine suo
quem effudit abunde, quia largiter undæ san-
guinis de corpore Jesu per quinque partes ema-
naverunt. »

IV. *In sepulturam peregrinorum ager ille emptus*
fuit ad litteram quidem eorum, qui Jerosolymam
adventarent: mystico tamen sensu designabat
eos solos in cæmeterio Christianorum requiem
inventuros, qui se peregrinos in hoc mundo
agnoscerent, et velut peregrini viverent. Mirum
sane est, quod de Haceldama scribit Adricho-
mius, in descriptione Jer. sal. n. CCXVI. « Est
hujus terræ, inquit, virtus mirabilis et fidem
pene superans, quo defunctorum corpora, vi-
ginti quatuor horarum spatio in pulverem re-
digat, quam virtutem etiam in alias regiones de-
vecta non perdit. Nam cum jussu imperatricis
Helena de hoc agro, quantum terræ plures na-
ves capere poterant, Romam advectum ac juxta
montem Vaticanum in eum locum exoneratum
sit, quem incolæ campum sanctum vocitant,
licet cælum mutarit, eandem tamen retinere
vim quotidiana experientia docet. Romanos enim
respuens sola peregrinorum corpora ad sepul-
turam admittit: quorum etiam hic omnen car-
nis substantiam intra viginti quatuor horas
prorsus consumit, ossibus tantum residuis. »
Atque ita se rem habere mihi quoque Romæ
narratum memini. Et cur hoc tam perenne mi-
raculum fiat præcise propter eos, qui corpore
peregrinantur, in mundo interim sua solatia quæ-
runt; et non potius propter eos, qui in mundo,
ut peregrini vivunt, cives vero in cælo sunt?
Isti igitur tam pretioso sanguinis agro digni
sunt, istos ille admittit, respuit mundi cives.
Propterea S. Petrus, ep. I. cap. II. hortatur nos,
ut hujusmodi peregrini simus. Obsecro vos, in-
quit, tamquam advenas et peregrinos, abstinere vos
a carnalibus desideriis, quæ militant adversus
animas. Artemodor. ille philos. Daldianus, I. I.
oneirocrit. cap. XLVI. scribit, Terræ motum in
somnio omnibus injuriam denotare, præterquam
peregrinis. Sic et nobis conjectare, neque vane,
licet, diem illum extremum, in quo cæli mo-
vendi sunt et terra, solis his peregrinis nihil mali
aut terroris allaturum, cæteris omnibus qui ut
cives hujus mundi vixerunt, terrorem pariter et

interitum. Pœro defunctum nostrum in hoc agro jam depositum, talem fuisse peregrinum complura nobis argumenta, etc.

Qui tamen de hoc non omnem prorsus certitudinem habemus, et aliunde scimus multa sæpe semina, in agrum licet fertilem jacta, ob injuriam tempestatum remoras pati, quominus ocius in germina, flores, et fructus prosiliant, ideo videtur hic defunctus expetere preces nostras, quibus veluti salutari rigetur imbre, et solis radiis perfundatur; ut sic ad maturitatem suam in cœlo obtinendam promoveatur, etc.

CONCIO IV.

SEPULCRA DOMUS NOSTRÆ.

THEMA.

Si sustinuerō, infernus domus mea est. Job. XVII.

Nemo vestrum est, auditores, qui non habeat curam domus suæ, eique quam optime potest, provideat de necessaria supellectile, de annonâ, de opibus denique et variis commoditatibus. Ita enim et sanctus ille patriarcha, postquam diu servierat socero suo Laban pro duobus ejus filiabus, tandem reversurus in terram suam: *Justum est, inquit, ut aliquando etiam provideam domui meæ*, Gen. XXX. Neque tamen legimus, quod habuerit propriam domum, nisi quam incoluit in Chanaan peregrino solo, Gen. XXXVII. Jam ergo quæritur, quæ sit proprie domus illa, cui prospicere quisque debeat. Habemus enim in primis domos arte factas ex lignis et lapidibus. Et circa has pene omnes occupantur homines, mundo huic addicti, ut eas ædificent, impleant, ditent, conservent, denique hæredibus suis relinquunt: verum his providere multa cura et sollicitudine, minime suadendum; quia brevi durabunt, et transferentur ad alienos; tandemque omnino corruent. Ita enim de domibus divitum testis est S. Job, c. XXVII. dicens: *Ædificavit (dives) sicut tinea domum suam, et sicut custos fecit umbraculum.* Quis autem nescit domum, quam in ligno vel in veste sibi struit tinea, devorari ab ipsa tinea, vel etiam excuti ab illo, qui lignum illud comburit, vel vestem expurgat? Quis etiam nescit umbraculum, quod in horto vel vinea sibi extruit custos, finito frugum tempore, statim destrui et auferri. Habemus etiam domum animæ nostræ, corpus nostrum, quod ipsa velut domum quamdam incolit. Sed neque hæc meretur, ut multum curæ ei impendatur, quia et ipsa brevi dissolvetur, teste apostolo, II. Corinth. V,

Scimus quoniam terrestris domus nostra (Græce schinus, h. e. tabernaculum) hujus habitationis dissolvatur. Loquitur ad litteram de corpore nostro, quod appellat tabernaculum, quia modico tempore stat, postea dissolvitur. Multo minus de ventre sollicitos esse expendit, quia eodem apost. teste, I. Cor. VI. *Esca ventri, at venter escis. Deus autem et hunc et has destruet.* Quænam igitur illa domus, cui maxime providendum? Hanc designat nobis Sanctus Job in primis, c. XVII. cum ait: *Si sustinuerō, infernus, h. e. sepulcrum domus mea est.* Et rursus, c. XXX. *Scio quia morti trades me, ubi constituta est domus omni viventi.*

Quænam vero illa? Nonne sepulcrum, quod omnes incolimus, postquam e vivis excessimus? Confirmat idem Ecclesiastes, c. XII. *Quoniam ibit homo, inquit, ad domum æternitatis suæ.* Loquitur autem de sepulcro ut explicat Chaldæus et S. Hieronymus. Porro nunc videndum, qualis sit illa domus, et qua ratione sic appelletur sepulcrum.

I. Sepulcrum dici potest domus nostræ stirpis, seu prosapiæ sicut prosapiæ magnorum principum antiquissimæ appellantur domus, uti Austriaca, Saxonica, Bavarica. Hoc sensu dixit David rex, II. Reg. VII. *Quis ego sum Domine Deus, et quæ domus mea, quia adduxisti me huc usque?* Talis imprimis domus nostra est sepulcrum, omnium antiquissima, quia e terra formati, ad terram nostram regredimur, cum in sepulcrum imus. Ac sicut antiquæ familiæ communiter a fundo quem incolunt, nomen sortiuntur, quia in illo prognati sunt; ita parens noster Adam ab adam, h. e. terra rubra, nomen accepit. Itaque ne miremur aut doleamus si in sepulcro nostro terram occupamus, quia fundum, e quo nati sumus, recuperamus et recipimus. Hanc agnovit Job, c. citat. cum dixisset: *Infernus domus mea est.* Subdit enim: *Putredini dixi: Pater meus es, mater mea et soror mea vermibus, q. d. libenter ad sepulcrum pergo, quia ibi invenio parentelam meam, a qua prognatus sum: terram velut parentem, matrem et sororem vermibus, qui in terra volutabantur.* Habemus hic mortales, quo superbiam edomemus et dicamus cum Davide: *Quis sum ego et quæ domus mea?* Pastoritia, imo terrea et lutum merum, unde prodii. Gentiles quidem et alii, qui aliud præter hoc sæculum non crediderunt, gloriam sibi et memoriam quasi immortalem in monumentis suis quæsierunt; ideoque super illa struxerunt mausolæa, aerea, marmorea, turres, pyramides; existimantes se in his structuris æternum victuros, saltem in memoria hominum, juxta id Ps. XLVIII. *Sepulcra eorum domus illorum in æternum.* Verum

frustra fuerunt, et perit memoria eorum cum sonitu. Ubi enim sunt jam illa mausolæa et pyramides? Ruerunt et perierunt una cum illis. Id quod etiam vaticinatus est Isaias superbo illi Sobnæ, templi præposito, c. XXII. *Quid tu hic, aut quasi quis hic? Quia excidisti tibi hic sepulcrum, excidisti in excelso memoriale diligenter in petra tabernaculum tibi.* Ecce Dominus asportari te faciet, sicut asportatur gallus gallinaceus (scilicet ligatus in corbem intrusus, et in forum delatus ad vendendum, uti exponit S. Hieron.) Fuit enim abductus ad Assyrios a Sennacherib. Qua ex re discimus parum efficere illos qui ex splendore epitaphiorum gloriam sibi quærunt, imo plane nihil, nisi in quantum cupiunt per illam sui memoriam preces a viventibus exposcere.

II. Sepulcrum dici potest domus quietis nostræ, in quam nos recipimus, cum a laboribus hujus ærumnosæ vitæ avocamur et ad somnum nos componimus, juxta id Apoc. XIV. *Beati mortui qui in Domino moriuntur. Amodo jam dicit Spiritus, ut requiescant a laboribus suis.* Et in hunc sensum explicat S. Job domum suam, sepulcrum; cum subjicit eit. cap. *In tenebris stravi lectulum meum. Putredini dixi: Pater meus es tu, mater mea et soror mea vermibus, q. d. quia a laboribus meis brevi respiraturus sum, ideo in sepulcro lectulum mihi paravi, adeoque aliud non desidero, quam ut putredo et vermes exuant me veste miserabilis hujus corporis, ut eo exutus indui possim gloriosa immortalitatis veste.* Sic enim et filius cum a laboribus diurnis revertitur in paternam domum, desiderat exui vestibus, servorum vel matris aut sororum opera. In quem sensum ait apost. II. Cor. V. *Qui sumus in hoc tabernaculo (corporis scilicet) ingemiscimus gravati eo quod nolimus expoliari, sed supervestiri, ut absorbentur quod mortale est a vita, q. d. desideramus non quidem a corpore, sed ab ejus affectionibus et perturbationibus liberi esse, ut ait ibi Theodoretus, adeoque supervestiri corpore immortalis.* Cum igitur id fieri nequeat, nisi exuto hoc mortali corpore, merito S. Job desideravit ingredi sepulcri lectulum, ibique spoliari mortali et ærumnoso corpore; quod et omnes cupimus, si peregrinos nos esse in hoc mundo cognoscimus; ut sane agnovit pientissimus cardin. Reginaldus Polus, cui cum Everardus Leodiensis episcopus renuntiasset, regem Anglorum Henricum VIII. præmium aureorum quinquaginta millium constituisse ei, qui necem illi inferret, miratus regis amentiam dixit, jam dudum se vitæ hujus tædio affectum mortem cupivisse, corporisque depositionem, et proinde cum Henricus tanto studio et incommodo suo illud ipsum efficere conetur, ni-

hil aliud facere quam si quis cupienti ire dormitum vestem ipsam vellet detrahere. Ita refert Sanderus, lib. I. de schism. Anglic.

III. Dici potest domus annonæ, in quam congerunt boni fruges bonorum operum: mali vero zizania malorum. Ita legimus Josephum congregasse frumentum in horrea tempore fertilitatis, ut inde alimentum terra Ægypti acciperet per annos sterilitatis, Genes. XLI. Nunc in hac vita frugiferi anni sunt, in quibus serere et metere, adeoque ditari possumus, et comparare merita in horreum sepulcri ad tempus deponenda, donec ea repetamus, cum hinc emigraverimus in alterum illud sæculum, ubi nemo amplius serere poterit aut metere. Antiquitus solebant thesauros recondere in sepulcris, uti de sepulcro Davidis testatur Josephus, l. XIII. antiq. c. XV. Verum illi securi etiam in sepulcris non erant, quin tandem raperentur, uti Hyrcanum fecisse thesauro sepulcri Davidici scribit Josephus, ibid. Verum si ad sepulcrum recondantur bona opera, nemo ea diripiet. Sunt enim jam ad ostium æternitatis deposita. Ostium hoc sepulcrum est, uti agnovit laudatissimus ille Godefridus epis. Bamberg. nostro sæculo in comitiis Ratisponensibus piissime mortuus, qui dum viveret, in mente sibi infixum esse illud aiebat: *Quotidie ad ostium æternitatis sto, ut in ejus domum mox ingrediar.* Refert P. Corn. a Lap. in eccl. c. XII. Ad hoc ostium hujus domus inferenda bona opera suasit cuidam civi Tudertino opulento B. Jacoponus Tudertinus, vir sapientissimus, tametsi is Christi amore se stultum simularet. Emerat civis ille par pullorum, quos cum domum vellet mittere, Jacoponus conspexit, eumque ut sibi pullis domum deferendis gratificaretur orat: qui se vero libenter facturum pollicetur. « Cape igitur, ait ille, defer obsecro, nec mihi imponas velim. » Jacoponus excepit: *Mihi tu fido, inquit, domum tuam pullos feram.* Fide data recta ædem S. Fortunato sacram, in qua civis monumentum suum habebat, se confert, sepulcrale saxum amolitur, pullos injicit, lapidem reponit. Civis ad ædes reyenit pullos desiderat: circumventum se ratus in forum recurrit, et pullos a Jacopono exigit ac quorsum tulerit petit. Mirari Jacoponus, et in domum se illius aves tulisse asserit. Qui fieri potest, ait civis, cum domi meæ nunquam visus hodie sis? Hic Jacoponus. *Mecum ades, inquit, jam me tibi obsecutum esse monstrabo.* In templum ergo ducit, apertoque ejus monumento: *Numquid amice, ait, tua hæc est domus. Vide si num mei incusandi tibi fuerit causa.* Civis nec verbo addito, receptis pullis, non absque trepidatione, optimis cogitationibus imbutus, domum revertit. Ita P.